
HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.



DE ANDRIAE TERENTIANAE GEMINO EXITU.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

A. MDCCCLXXXVI.

SCRIPSIT

(Karl Friedrich) ADOLFUS GREIFELD


BEROLINENSIS.

HALIS SAXONUM.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS FEICHT

BEROLINI.

1886


JAN 30 1890
LIBRARY.

PARENTIBUS CARISSIMIS

PIO GRATOQUE ANIMO.

PRAEFATIO.

Quamquam iam complures viri docti in hac quam nobis proposuimus quaestione versati sunt, tamen nondum absoluta nobis videtur esse, cum illi in diversissimas discedant sententias, quarum nulla adhuc omnibus probatur: alii enim exitum alterum ipsi Terentio vindicare volunt, alii poetae saec. a. u. VII.; alii eum a viro aliquo docto II. p. Chr. saec., alii vel a grammatico IV. p. Chr. s. factum putant.

Quae cum ita sint, non supervacaneum atque inutile videtur denuo totam hanc quaestionem movere; itaque hac dissertatione de sententiis adhuc prolatis iudicium facientes conamur, num contingat, ut aliquid proferatur, quod si non certum at tamen probabile videatur.

EXORDIUM.

Terentianae Andriae duo exstant exitus: quorum alter brevior sicut fabula ipsa per plurimos libros manuscriptos inde a Terentii temporibus nobis est traditus; alter longior usque ad IV. p. Chr. saec. nemini viro docto videtur notus fuisse; neque enim ullius veteris scriptoris testimonio confirmari potest quemquam cognitum habuisse hunc exitum[1]).

Donatus demum clarissimus ille grammaticus et rhetor, qui IV. p. Chr. saec. floruit, primus horum versuum mentionem facit in commentariis in Terentianas comoedias in adnotatione ad V, 6. 14.

Tum spatio sex fere saeculorum intermisso Eugraphius, qui X. p. Chr. saeculo floruit, paullo fusius de hoc exitu egit.

Atque cum hi duo Terentii commentatores hos versus, quos nonnullis in codicibus inesse viderunt, esse Terentii negarent, factum videtur esse, ut insequentibus temporibus omnis huius exitus memoria[2]) abolesceret codicesque, quibus con-

---

1) Dubitari potest, num C. Sulpicius Apollinaris, qui II. p. Chr. saec. periochas in Terentii comoedias composuit, noverit hunc exitum, quod volunt Fleckeisenus et Wagnerus (in Ter. fab. edd.); de qua re vide infra p. 42.

2) Confirmatur hoc comoedia aliqua ex numero earum, quae XVI. et XVII. saeculo in Germaniae scholis agi solebant: Cornelius Schonaeus enim [nat. a. 1541 in oppidulo ‚Gouda', mort. a. 1611 in opp., Harlem'] iisdem paene, quibus Terentius in priore exitu, verbis utitur (I, p. 63) in peroratione comoediae, quae inscribitur ‚Juditha':

»*Posthac egredientem hic nullum videbitis*«
»*Nam si quid est, quod restat, intus transigetur*«

cf. Francke, Terenz und die lateinische Schulkomödie in Deutschland, Weimar 1877. p. 70/71. p. 106.

Eundem Andriae exitum videtur mihi imitatus esse ‚Joh. Tirolf von

tinebatur, apud viros doctos in oblivionem venirent. Nonnullos autem librarios alterius exitus scaenam novisse ex eo elucet, quod in nonnullis codicibus illis temporibus — i. e. ab XI. usque ad XIV. saeculum — scriptis tradita est. Sed perpauca fuisse manuscripta, quae memoriam huius exitus propagabant, iam ex iis facile intellegitur, quae scriptor codicis Ambrosiani A, ε adnotat: »*sese hanc scaenam nusquam alibi vidisse .... praeterquam in uno eodemque vetustissimo codice*[3]).«

Qua re mirum non est, ne vestigium quidem huius exitus exstare in veteribus Terentii fabularum editionibus[4]); iamque perpetua oblivione videbatur obrutus esse, cum Franciscus Guyetus e tenebris eum in lucem vocavit atque exscripsit in Commentariis in Terentii comoedias, qui Argentorati a. 1657. ad Boecleri editionem illustrandam prodierunt: in quibusdam exemplaribus huius scaenae versus legi dicit et ex antiquo codice a se exhibitos esse p. 380 commemorat. Tum Chr. Th. de Murr in Memorabilium bibliothecarum Norimbergensium part. III, p. 75 ex codice quodam Altorfino, et ex codice Ebneriano in Memorabil. part. II, p. 135 »*versus scaenae ineditae*« exscripsit: fugerat igitur eum iam pridem Guyetum eos typis excudendos curavisse. E Guyeti commentario transtulit in suam editionem hanc scaenam Westerhovius, quam vir doctus vol. I, p. 217 sq. »*nec in mss. libris decem, quos ipse consuluerit, nec in impressorum quoquam, quibus uti contigerit, sibi repertam*« affirmat. Ex Westerhoviana versus transierunt deinde in Zeunii editionem (Lips. 1774.); a Guyeto Bothius quoque recepit illam scaenam »*appendicem spuriam*« inscriptam in Poetarum scenicorum latinorum corpus. Tum G. H.

Kahla‘ (ca. a. 1550) in comoedia, quae inscribitur »Die Heirat Isaaks und seiner lieben Rebekka«. Qua in comoedia extrema scripta legimus haec verba:

»*Ihr dürft nicht länger warten hie,*«
»*Dass ihr wollt sehen wann und wie*«
»*Die Wirtschaft fortgehalten wird*«
»*Im Haus drin wird es All's vollführt.*«

cf. Genée, Lehr- und Wanderjahre des deutschen Schauspiels. Berlin 1882. p. 177. [3]) cf. Umpfenbach. edit. P. Terentii comoed. p. 84.
[4]) cf. G. Hermann. in Ritschelii Parerg. epim. p. 604.

Grauertus de his versibus, quos emendare studuit, in disputatione Analecton hist. et phil. a p. 197 ad p. 204 satis copiose disseruit. Atque etiam Doederlinus Murrium secutus ex codice Erlangensi, olim Altorfino, exitum de quo agitur in Lectionum variarum Triadis extrema particula (edita a. 1840.) exscripsit, sed »*versus aliqua tantum ex parte emendare studuit, alteram partem ut a metro et sententia misere laborantem fideliter descripsisse satis ratus.*«

Denique Ritschelius his versibus lucem afferre studuit in Parergon dissertatione X. a p. 583 ad p. 602; cuius sententiam laudaverunt H. Hermannus[5]), Dziatzko[6]), Braunius[7]), alii, qui hanc scaenam Terentio abrogant. Aliter senserunt Spengelius aliique, qui eam poetae vindicant.

Editores recentiores integram hanc scaenam, plerique suppositiciae nomine inscriptam, in editiones receperunt.

Quae sit huius exitus condicio, utrum Terentio sit abrogandus an vindicandus, dissertatione nostra quaeremus.

I.

Quae sit utriusque Andriae exitus in codicibus condicio.

Ac primum quidem ut haec quaestio possit diiudicari cognitum perspectumque habeamus necesse est, quae sit utriusque Andriae exitus in codicibus condicio.

Exstat autem alter ille exitus in nullo eorum codicum, qui ad Terentii fabulas recensendas magnam vel aliquam habent vim quique ab Umpfenbachio in apparatu critico sunt descripti: neque in Bembino neque in codicibus recensionis Calliopianae[8]); sed in quinque codicibus iisque deterioribus

---

5) in Ritschelii Parerg. epim. p. 604—606.

6) in Fleckeis. annall. vol. 113. a p. 235—240 (a. 1876), in dissertatione, quae inscribitur »*Der doppelte Ausgang der Andria.*«

7) Quaestiones Terentianae ed. Jen. 1877. 8) cf. Dziatzko. l. l. p. 239.

scripta est haec scaena additicia, de quibus agit Umpfenbachius in Terent. fab. edit. p. 84.

In Bembino post priorem exitum, qui est a versu: ‚*Bene factum e. q. s.*' usque ad versum ‚*Intus transigetur e. q. s.*' scriptum legitur: ‚*ω. Plaudite. Terenti Andria finita.*' Similia invenies in maxima parte reliquorum codicum, quorum plerique habent subscriptionem: »*Calliopius recensui*[9]).« Itaque nihil in his de altero illo exitu traditum est.

Ex quinque illis codicibus, qui sunt:

α. Altorfinus olim, nunc Erlangensis [saec. XI, teste Doederlino, qui in Progr. Erlangensi a. 1839 accuratius hos versus typis excudendos curavit, quam factum erat a Murrio, qui hunc codicem non XI. sed XII. saeculo tribuit[10]).]

β. Ebnerianus [saec. X. teste eodem Murrio.]

γ. Marcianus [s. XII.]

δ. Ambrosianus G [s. XIV.]

ε. Ambrosianus A [a. 1408 scriptus.]

tres: *γ*, *δ*, *ε* ex recensione Calliopii orti sunt; subscripto enim ‚*Calliopius recensui*' alterum exitum praecedit; quamquam hi codices a ceteris, qui aut integram Calliopii recensionem aut correctam eam ex Donato exhibent, discernendi certumque codicum ordinem efficere videntur. Ex his tribus duo: *γ* et *δ* ex eodem fonte videntur fluxisse, quia in iis in fine fabulae iidem versus additi sunt:

in *γ*: *Publii terencii afri andria finit*
dulcia que docuit fictor ne respice verba
mulceat ut dulcis m̄te ēscriptio heri.

in *δ*: *Dulcia que docuit fictor ꝛ~ respice verba*
mulceat ut dulcis mentem conscripsio heri. Andria finit.

Erlangensis (Altorfinus) et Ebnerianus (*α* et *β*) cui codicum familiae tribuendi sint, utrum Calliopii recensioni an familiae ceterum ignotae, diiudicari non potest, quoniam ex iis nihil nisi alterum exitum exscripsit Umpfenbachius. Scriptor Ambrosiani A, *ε* adnotat haec: »*Hanc scenam nusquam alibi*

9) Umpf. p. 82. 10) cf. Ritschel. l. l. p. 584.

vidi praeterquam in codice Terentii qui est in catenis apud seminarium dominicum Bononie. Ubi ipsam repperi de littera admodum antiqua, superaddita tamen videbatur post perfectum opus sicut et hic. Que an fuerit Terentii viderunt (sic!) alii. Ego vero hic transcribendam duxi, quia in vetustissimo codice et antiqua valde littera scripta erat.« Ex hoc codice ε scaenam ‚*suppositiciam*' a Guyeto exscriptam esse fere certum est[11]). Personarum indices scaenae, de qua agitur, non sunt praepositae in libris γ et δ, cum interlocutores per scaenam non sint indicati in α, β, γ, δ[12]).

Atque in his quinque codicibus alterum exitum non omisso priore scriptum invenies, sed illi eosdem quos Bembinus ceterique codices exhibent versus — teste Umpfenbachio —:

V, 6, 13: *Memini atque adeo longumst illum me exspectare dum exeat.*

14: *Sequere hac intus*[13]): *apud Glycerium nunc est . . . .*

hic versus 14. integer non est, nam quae post ‚*nunc est*' in ceteris codicibus scripta sunt: ‚*tu Dave abi domum*' videntur esse deleta; quam lacunam Umpfenbachius coniectura, ni fallor, explere studuit, nam vocabula »*sed eccum exit foras*« addidisse eum apparet ex eo, quod uncis ea inclusit.

15: ‚*Propera, accerse hinc qui auferant eam. quid stas? quid cessas? Dav. Eo*'.

prorsus omittunt hi codices omnes, sed eius loco in illis V codicibus septemdecim versus, ex quibus alter exitus constat, scripti leguntur; tum fabula iisdem vocibus quibus in Bembino ceterisque codicibus finitur:

16: *Ne exspectetis dum exeant huc: intus despondebitur,*

17: *Intus transigetur, si quid est quod restet. ω. Plaudite.*

Attamen ex Umpfenbachii adnotatione non satis apparet, utrum Marcianus γ et Ambrosianus δ hos duos versus (16 et 17) exhibeant nec ne; videntur autem non praebere, quia verbum ‚*spondeo*' statim duo illi sequuntur hexametri, quos paullo ante posuimus; praeterea in γ ante hos versus (dulcia e. q. s.) scriptum est: »*Publii terencii andria finit*« in δ post eos: »*An-*

---

11) Umpf. p. 84. 12) ibid. 13) In priore exitu legitur apud Umpf. ‚*hac me intus*' cf. p. 81.

dria finit.« Sed et ne ceteri quidem libri α, β, ε satis accurate exscripti videntur, neque enim ulla lectionis varietas affertur, an putemus, omnes V codices hos versus 16 et 17 iisdem verbis praebere[14])?

[14]) Ad hos quinque sextus nuper codex accessit, in quo tertius invenitur Andriae exitus, cum Umpfenbachii editio iam prodiisset. Ritschelius enim [parerg. p. XXX] eos codices qui in bibliotheca Erlangensi academica numeris 67 et 236 notati servantur, quorum notitiam *»Doederlino benevole intercedente«* acceperat, Altorfinum et Ebnerianum esse putaverat, quorum alter antiquior valde mutilus et truncatus esset, alter recentior scaenam non extremae Andriae subiectam sed in prima scheda seorsum perscriptam praeberet. Sed viros illos doctissimos erasse, demonstrat Henricus Keilius [in Ritschelii opusc. vol. III. p. 280], qui nos certiores facit, codicem numero 236 (nunc 300) signatum non esse illum Ebnerianum, quo Murrius usus est, sed originem ducere ex *‚monasterio in hailsbrunn'*, ubi ab Hockero in catalogo typis descripto bibliothecae *‚in heilsbrunn'* hoc numero 236 esset notatus. Scriptus est hic codex partim XI., partim XII. saec.; primi enim membranarum fasciculi antiquiores videntur esse sequentibus. In fine additum est: *»monasterii in hailsbrunn«*: quibus vocabulis sine dubio confirmatur hunc codicem nullo pacto esse posse Ebnerianum. Atque in huius codicis prima scheda a manu recentiore — eadem, ut videtur, quae finem codicis scripsit — post nonnulla scholia scriptum est: *»ultima scena in andr̃.«* Vita Terentii non inest in codice, sed in tribus ultimis paginis varia quaedam invenimus scholia, quarum tertiae extremae haec adduntur: *»secundum servium VI titulus operis qualitas carminis intentio scribentis numerus librorum ordo librorum vita poetae.«* fortasse igitur olim scripta erat *‚vita poetae'*; quam lacunam antiquissimam esse ex eo elucet, quod subscriptio illa *‚monasterii in hailsbrunn'* in ultimo folio est.

Itaque hic codex numero 300 (olim 236) signatus Ebnerianus*) non est, quod putabant Doederlinus et Ritschelius; neque scaena ibi addita ille alter exitus est, sed tertius quidam, quod ne Keilius quidem recte intellexisse mihi videtur. Sed hoc compluribus post**) Keilium annis

*) Apparet igitur Ritschelium tantummodo unum codicem (Altorfinum) inspexisse, Ebneriani lectionem ex Murrii Memorabilibus sumpsisse (cf. Parerg. p. p. 584. 586).

**) Hae litterae, quas Keilius ad Ritsch. dedit et Wachsmuthius Ritschelii de Suetonii vita Terent. dissertationi addidit (1877) sine dubio ante Umpfenb. editionem (1870) scriptae sunt, quia si post eam scriptae essent, Keilius non dixisset: *»Wohin der gesuchte cod Ebner. des Terentius gekommen ist, weiss ich nicht zu sagen«* quoniam Umpfenbachius rursus Ebneriani lectionem adhibuit, qui ipse hasce Keilii litteras non cognovit, quod 1877 demum editae sunt.

II.

Qualia singula verba codicibus sint tradita.

Scripturam codicum in hoc altero exitu mirum est multo maioribus vitiis corruptam esse quam in ceteris Terentii fabulis. Quaedam enim ne ingeniosissimis quidem coniecturis adhibitis satis intelleguntur[15]). Persaepe quinque illi codd. alius aliam lectionem aeque ineptam et obscuram praebent ita, ut discernere omnino non possimus, quid voluerit poeta. Praeterea inde a versu 11 etiam distinctio versuum in libris diversa est, qua re longissimi et pravissimi versus exhibentur.

Itaque iam olim Guyetus hos versus non solum depravatissimos vocavit sed etiam suppositicios et Terentio plane indignos[16]), similiter Westerhovius de iis iudicat: »*verba intricata et absurda, ne dicam barbara, et quibus intellegendis Oedipo opus sit coniectore, qui Sphingis interpres fuit . . . . cum igitur nihil minus quam Terentianum stilum sapiant, in iis restituendis et emaculandis frustra quis operam posuerit.*« Quam sententiam probavit Perletus[17]) »*ac profecto*, inquit, *nemo quidem fecerit iacturam, qui notitia illorum carebit.*« Doederlinus quoque cum codicem Altorfinum *a* excudendum curaret, partem tantum versuum emendavit, alteram partem metro et sententiis misere laborantem fideliter descripsisse satis ratus[18]).

---

ab alio quodam viro docto affirmatur, a Schmidtio, qui in dissertatione de actorum numero in fabulis Plautinis et Terentianis ed. a. 1870 p. 39 haec adnotat: »*Schon bis jetzt waren zwei Schlussscenen der Andria bekannt. Herr Bibliotheks-Assistent Dr. M. Zucker dahier hat im cod. Erlangensis n. 300 einen neuen exitus dieser Komödie gefunden, in welchem ausser Pamphilus, Charinus, Davus, Chremes, die in einem der beiden andern exitus auftraten, noch Simo vorkommt.*« Sed de hoc tertio exitu nihil certi comperire potui, neque usquam eum exscriptum vidi.

15) velut v. v. 13 (12) — 19 cf. Dziatzko in Fleckeis. ann. vol. 113 p. 236. W. Wagner in edit. Ter. fab. Cantabr. 1869. p. 310.

16) Comment. in Ter. com. Argentor. 1657. p. 380. 17) in edit. nova ed, 1827. Andria p. 106. 18) cf. supra p. 8.

III.

Quomodo emendatus sit hic alter exitus a viris doctis.

Cum vero, priusquam de his versibus certum proferri possit iudicium, ipsa verba necessario emendanda sint, in ea re magnam operam viri docti collocaverunt. Sed mihi quidem genuina lectio nullo modo videtur posse restitui, quia verba nimis depravata et mutilata atque omnino ita scripta sunt in codicibus, ut intellegi nequeant. Nonnulla igitur, quae viri docti coniecerunt, etsi ad sententiam verborum exponendam et explicandam plurimum valent, tamen e poetae manibus, quicumque ille fuit, prodiisse non putanda sunt, quia non codicum vestigia secuti sed suo quisque ingenio commoti sunt. Quid igitur mirum si viros doctos de hoc exitu emendando valde diverse sentientes videmus? Velut Ritschelius [19]) Bothium et Grauertum iudicavit, procudisse non modo inficetos versiculos et vel mediocri poeta indignos, sed etiam a lingua et numeris et sententia vitiosos et ex parte vere barbaros, ut actum sane esset de versuum antiquitate nec esset quod vel tantillum operae in iis poneretur, si ea pristina illorum forma fuisset, quam instaurasse illi viri sibi visi essent. Atque cum Ritschelius, Spengelius, alii versus praedicent esse vere Terentianos, Dziatzko [20]) dictionem magna ex parte vulgarem atque farraginem quandam verborum tritorum esse iudicat, quae partim meliora partim vulgaria et omni elegantia carentia admodum impolitam et plane rudem ingenii formam significent.

Ritschelius [21]) sine dubio recte putat duas res tenendas esse in emendandis his versibus, unde tamquam a fundamento proficisci debeamus. Primum enim apparet, id inter Pamphilum, Chremetem, Charinum, Davum agi, ut Chremes a Pam-

19) l. l. p. 587. 20) l. l. p. 235. 21) l. l. p. 558.

philo exoratus Charino pavide amanti Philumenam filiam despondeat. Deinde id patere videtur, v. 12. (si Ritschelium et Fleckeisenum, v. 11 si Umpfenbachium sequeris) mutari numerorum genus ita, ut trochaicos septenarios excipiant senarii, quamquam codd. longiores praebent versus.

His rationibus usi Ritschelius[22]), G. Hermannus[23]), Fleckeisenus[24]), Klotzius[25]), Wagnerus[26]), Umpfenbachius[27]), Spengelius[28]) alii verba illa corrupta emendare conati sunt; atque ita emendaverunt, ut ex septemdecim aut duodeviginti illis versibus, quos praebent codices, fierent viginti unus. Quibus ex emendationibus Umpfenbachii lectio quamquam maxime videtur probabilis, quia ille non tam multa, quam Ritschelius et qui eum secuti sunt, addidit atque codicum lectionem quam maxime servare studuit, tamen ne in eius quidem lectione acquiescere possumus.

Duo autem versus 13 et 14 nullo modo restitui videntur posse — adeo enim corrupti sunt — nisi vero novos fere versus efficere vis, id quod Ritschelius, alii fecerunt, qua re Umpfenbachius asteriscis eos significavit. Sed hactenus de verbis versibusque, videamus nunc, quo loco illi versus inserti sint.

IV.

Quo loco alterius exitus versus inserti sint.

Donatum quidem eos inter 14 et 15 versum prioris exitus interpositos invenisse, apparet ex iis, quae adnotat ad V, 6, 14.: »*tu Dave abi domum*] *hi versus usque ad illum* ‚*gnatam tibi meam* (Philumenam *add.* Ritsch.[29]) *uxorem*‘ *negantur Terentii esse adeo ut in plurimis* (pluribus *Edit. pr.*) *exemplaribus non inferantur*[30]).«

---

22) l. l. p. 589 sq. 23) ibid. p. 605 sqq. 24) in edit. fab. Ter. Lips. 1857. 25) in edit. Andriae. Lips. 1865. 26) in edit. fab. Ter. Cantabr. 1869. 27) in edit. Berol. 1870. 28) in edit. Andriae. Berol. 1875. 29) l. l. p. 595. 30) Hoc verbum ‚*inferantur*‘ in ‚*ferantur*‘ mutari vult Ritschelius codicem Hulsianum secutus. cf. Parerg. p. 596.

Eugraphius de iisdem versibus adnotat haec: »*Age me in tuis secundis*] *Exhortatur Charinus Pamphilum ut auxilium sibi praebeat.* »*In secundis, inquit, rebus tuis respice me, habes in potestate Chremetem, omnia potest facere ille quae tu voles.*« *Post hunc versus sequuntur continentes illam sententiam, quemadmodum itum est ad Chremetem, quemadmodum exoratus Charino promiserat filiam. Sed hos tollendos esse versus persuadet, quod sequitur:* ‚*Memini atque adeo longum est exspectare dum exeat*'. *Si enim acta sunt ista omnia in publico, quo modo* (illud *add.* Ritsch.) *dici potest, maxime cum sequatur:* ‚*ne exspectetis, dum exeant huc: intus despondebitur, intus transigetur, si quid est quod restat.*' *Ergo cum legerimus primum* ‚*Tuus nunc Chremes, facturum quae voles scio esse omnia*' *continuo debemus subiungere:* ‚[Memini] *atque adeo longum illum exspectare, dum huc exeat.*' *Ita enim integritas fiet sensus sublatis versibus, qui intus gesta retinebant* [continebant *Grauertus*].« Ex his Eugraphii verbis Grauertus[31]) sibi visus est hoc posse colligere, invenisse Eugraphium alterius exitus versus post vocabula ‚*age me in tuis secundis respice me*' i. e. post v. 11. Sed vanam esse hanc conclusionem demonstravit Ritschelius, qui ex postremis Eugraphii verbis luculentissime contendit apparere, illos versus collocatos fuisse inter 12 et 13 versus: quo solo loco recte eos continuari si minus proximis at certe antecedentibus dicit[32]); ipse autem probata sententia Grauerti, qui istos versus post v. 12 insertos et omissos fuisse reliquos quinque Bembini versus putat, ita rem instruit, ut non solum verba (v. 13) ‚*longumst illum me exspectare*' usque ad finem deleat, sed etiam ab eo versu, qui est ‚*Te exspectabam e. q. s.*' novam ordiatur scaenam. Quam ob rem aliquid adiectum oportere putat post Charini et Pamphili verba ‚*Facturum quae voles — atque adeo*', quo superior scaena terminaretur; itaque additis quae excidisse putat scribendum coniecit:

v. 12. *Tuus est nunc Chremes: facturum quae voles scio esse omnia.*

---

31) l. l. p. 198 sq. 32) Parerg. p. 590 sqq.

v. 13. *Pa.* *Memini atque adeo | ut volui commodum huc senex exit foras:*
14. *Secede illuc aliquantisper, Dave sequere me hac. Dav. sequor.*

Act. V. scaen. 7.

1. *Te exspectabam . . . . e. q. s.*

atque ut haec quoque scaena recte terminaretur, post v. 21 ‚*Uxorem — spondeo*' addi vult:

Agatur intus si quid restet. ω. Plaudite.

Quas Ritschelii coniecturas, quamquam summa cum sagacitate excogitatae sunt, tamen longe recedere a codicum scriptura nemo negabit. Ac certe alius alios versus excogitare eodemque iure defendere potest, si modo cum huius scaenae sententiis et Terentiana dictione congruant; quamquam omnes recentiores editores, qui alterum praebent exitum, hanc Ritschelii emendationem secuti sunt.

V.

Quae fuerint alterius exitus fortunae vicissitudines in codicibus.

Ex eo ordine, quo Donatus et Eugraphius versus in suis exemplaribus interpositos reppererunt atque nos in codicibus in fabula extrema insertos legimus, colligere nobis posse videmur: primum: iam Donatum et Eugraphium versus non in margine alicuius libri sed in textu ipso iis, quos diximus, locis scriptos repperisse; deinde: in eorum codicibus verba non eodem modo scripta fuisse, quo in nostris: nam verba ‚*tu Dave — eo*' (i. e. v. v. 14 et 15.) si in uno alterove omissa invenissent, hi commentatores maximeque Donatus, subtilis ille Terentii interpres, »*cuius notationibus nihil aptius unquam dictum est in poetam aut ingeniosius*[33])« sine dubio adnotavissent; tum: nullo unquam tempore, quantum scimus, codicem fuisse, in quo hic alter exitus, omisso illo breviore qui in Bembino est, solus

[33]) cf. L. Schopen: de Terentio et Donato eius interprete. Bonnae 1821. p. 47. cf. Umpf. p. XXXVIII.

satis bona verborum sententia cum versibus antecedentibus coniunctus exhiberetur ea fere ratione, qua Ritschelius usus eum emendavit atque restituere sibi visus est. Nam si codices nostri pari modo mixtum eum cum priore exhibent, omnes ad unum fontem referendi sunt, in quo uterque scriptus erat exitus; atque id iam antiquissimis temporibus ita se habuisse demonstratur Donati verbis; neque enim adnotat, quosdam codices brevioris loco alium habere exitum, sed versus illos post v. 14 esse intercalatos, non Terentii[34]). Versus autem si iam Donati temporibus i. e. medio IV. p. Chr. scaeculo in ipso quorundam codicum textu erant scripti, antiquiores esse nemo negabit.

Quibus omnibus ex causis apparere puto, iam aliquanto ante Donatum fuisse aliquem codicem, cuius margini adscriptus erat alter ille exitus ac secunda quidem, ut videtur, non librarii primi manu; fortasse etiam nota addita erat: ‚*non Terentii*'. Ex hoc codice manarunt illi Donati Eugraphiique libri ita, ut quae in archetypi margine erant in textum ipsum reciperentur, ab alio post v. 14 — (quo ii libri, quibus Donatus usus est, referendi sunt), ab alio post v. 12 (quo Eugraphii codices sunt referendi), cum librarii ex illa nota istos versus ad fabulam ipsam non pertinere neque ullius pretii esse rati, quo loco nova illa scaena inserenda esset non curarent, sed exscriberent illam ea tantum de causa, quod in codice quodam scriptam eam invenerunt; quam causam scriptor Ambrosiani *A*, ε expressam protulit: »*Ego vero hic transcribendam duxi, quia in vetustissimo codice scripta erat . . . . . quae an fuerit Terentii viderunt* (*sic!*) *alii.*« Atque simile aliquid voluisse videntur scriptores librorum *δ* et *γ*, cum duos illos versiculos, quos supra commemoravimus, adderent, qui etsi non plane intellegitur quid sibi velint, tamen id valere videntur, ut ficta illa scaena esse dicatur.

Atque talis Donati codex videtur fuisse librorum *α* et *β* archetypum, U (cf. stemma p. 19), cuius librarius doctior utrum-

[34]) In nullo libro umquam fuisse solum longiorem exitum iam ea re probatur, quod nemo neque commentatorum neque librariorum hos versus alterum quendam exitum habuit sed scaenam additam, qua fabula augeretur.

que exitum coniungere conatus et partem versus 14 et totum v. 15 [*tu Dave — eo*] deleret, quos versus locum habere non posse intellexit, quia Davum, si fabula nondum finiretur, facere quae iussus erat, oportebat i. e. abire. Itaque cum postea in scaena adesset, verba illa delenda censuit.

Eugraphii codex videtur interiisse; neque enim ullum librum ex eo manasse cognitum habemus, in quo exitus eo loco insertus fuerit, quo in illo codice legebatur.

Codices γ, δ, ε prodierunt ex uno eodemque archetypo, quod littera V notamus, cuius scriptor cum codicem Calliopianae recensionis describeret et cum libro aliquo in modum manuscriptorum α et β facto compararet, priore exitu Calliopianae recensionis neglecto ipse quoque delevit v. 15 et partem v. 14 et subscripsit: ‚*Calliopius recensui*'; deinde transcripsit in suum ex illo codice novam scaenam.

Ex hoc archetypo V manaverunt postea duo apographa W_1 et W_2. In libro W_1 additi erant duo illi hexametri (*dulcia e. q. s.*) aut scriptoris manu aut manu secunda: ad hunc librum referendi sunt codd. γ et δ.

Scriptori codicis ε plures praesto fuisse Terentianos libros ex iis, quae ipse adnotat, apparet; neque in ullo alio testatur libro se invenisse illam scaenam nisi in vetustissimo quodam codice, in quo post perfectum opus ‚*superaddita*' fuisset, quod vidit, cum libros suos cum illo ‚*in catenis*' compararet, qui ipse fluxisse videtur ex W_2, in quo illi hexametri non scripti erant: nam si scriptor codicis ε eos ibi vidisset, sine dubio eos in suum exemplar transcripsisset, quoniam iis dubitatio eius confirmata esset. Ex hoc codice W_2 ‚*scaenam superadditam post perfectum opus*' i. e. post verba ‚*Calliopius recensui*' (cf. codicem V), quam in suis libris C. R. omissam vidit, exscripsit, non alterum quendam exitum sed scaenam additam eam esse ratus[35]). Interlocutores per scaenam, qui hoc tantum in codice ε scripti sunt, ipse fortasse addidit, utpote qui paullo scrupulosior ceteris librariis videatur fuisse, quod apparet ex adnotationibus eius ad v. 9: ‚*credo adauc-*

---

[35]) cf. adnot. 34.

tam' et ad v. 11: ,*credo gaudeo*' et ea re, quod dubitavit, num Terentii esset exitus, quod aliis diiudicandum se relinquere dicit.

Tres igitur aetatis gradus decurrisse videmus hunc exitum:


primum margini alicuius libri adscriptus est,

deinde ab alio librario in textum receptus (sicut in Donati Eugraphiique codicibus)

tum omissis v. 15 et parte v. 14 quodammodo emendatus et cum priore coniunctus est.

Hoc modo versus alterius exitus in eum quem nunc praebent ordinem redacti sunt:

Liceat autem omnes quinque codices, de quibus egimus, hoc stemmate complecti:



Si quis credit hos duos exitus per inscitos librarios vel aliquem virum doctum — scilicet multo ante Donatum — factos esse ex uno illo exitu quo poeta fabulam finierit atque a nobis posse inter se ita conciliari, ut ille solus restituatur: tenendum est, indole versuum utriusque exitus id impediri; nam cum sententiae horum versuum sint diversae et plane contrariae, (quod infra demonstrabitur) alterum exitum alteri refragari nec posse stare hunc nisi sublato illo nemo non intelleget.

Haec autem omnia, quae de codicibus diximus, esse coniecturas, quae certo firmari non possunt argumento, non ignoramus; sed satis superque habemus, si nobis contigit, ut unum alterumve probabile reddiderimus. Vix enim quisquam in hoc genere de suo iudicio talia proferet, quae omnibus probentur.

VI.

Alter exitus sitne Terentii nec ne.

Ex his omnibus quae adhuc de codicum ratione exposuimus necessario movetur dubitatio, num alter exitus Terentii sit; quae dubitatio multis argumentis ex fabula ipsa ductis confirmatur. Neque enim id agitur, ut exitus audacissimis et artificiosissimis coniecturis emendetur, sed ut inquiramus, utrum sententiae cum argumento fabulae ita congruant, ut scaena illa e poetae ipsius manibus prodiisse putanda sit nec ne et, si a Terentio versus abiudicandi sunt, cuinam et cui tempori tribuendi sint.

Donatum igitur et Eugraphium illos versus a Terentio abiudicavisse iam supra vidimus; praeter locos supra scriptos cf. etiam quae adnotat Don. ad V, 6, 13, 14, 17., qui ob eam causam nihil in eos commentatus sed solum alterum breviorem exitum interpretatus est; quod eo magis memorabile videtur, quoniam hi versus eius temporibus multo minoribus mendis et vitiis scripta fuerunt. Guyetus versus suppositicios et Terentio plane indignos iudicat; idem censuerunt Westerhovius,

Zeunius, Bothius, cum Grauertus[36]) adeo de fraude Guyeti cogitaret atque ab eo ipso factos esse putaret; certe nullo iure, nam inventis quinque codicibus antiquos eos esse demonstratur. Ceterum ipse reicit hanc sententiam et Terentii eos esse negans, quia ab eius arte et elegantia recedant, factos eos putat a docto quodam homine, qui Andriae finem mutaverit; cuiusmodi res iam antiquissimis temporibus persaepe factas esse ait, et iisdem temporibus etiam Plauti Poenuli et Mercatoris scaenas spurias tribui Niebuhrium[37]) voluisse dicit.

Ritschelius[38]) vero: ‚*quicunque idoneum usum comicorum habeat, eum posse* negat *vel tantillum dubitare, quin in bono et antiquo poeta versemur; ut enim nihil sit in istis versibus, quod Terentio Plautove non sit dignum, ita ne uno quidem exemplo ostendi posse, tales unquam versus a posterioris aetatis homine factos esse.*‘ Verum tamen ab hac versuum admiratione dissentio: Nam primum mea quidem sententia nimis audacter in verbis, e quibus nonnulla omni sensu carent, iudicat nihil inesse, quod a Terentio sit alienum; deinde etsi recte dicit[39]), qua arte quave inertia facti sint versus, aestimare non prius licere, quam mendis, quibus laborent, probabili ratione liberati et in eam integritatem restituti sint, qua e manibus poetae prodiisse eos credibile sit, tamen cum eius emendandi ratione consentire non possum, quia nimis multa, quorum ne vestigium quidem patet, addidit; tum hoc Ritschelii iudicium cadit in sola verba non in universas sententias. Paullo post[40]) retractatae et integrae scaenae accessione auctam fabulam exemplo probari posse dicit, et deinde: »*utrumque exitum esse Terentii; utrum vero fabulae exitum priorem fecerit, utrum reprobato altero postea adiecerit, illud haud facile diiudicari posse; nam utramque opinionem profecto haud spernendis argumentis ita exornari posse, ut quid potissimum sequare incertus haereas.*« Attamen ipse postremo nonnullis exitus alterius sententiis pravis commotus non de duplici opera unius poetae, sed de duobus poetis cogitandum sibi persuasit.

---

36) l. l. p. 203. 37) Opusc. histor. p. 177. 38) Parerg. p. 594 sqq.
39) l. l. p. 587. 40) ibid. p. 600 sq.

Itaque cum saepe repetitae sint Terentii fabulae etiam mortuo poeta, factum esse autumat, ut per eiusmodi occasionem opera ‚*alius poetae sed haud multo posterioris*‘ resecto pristino fabulae exitu haec scaena adiceretur, qua etiam Charinus uxorem ducat speratam. Hanc Ritschelii sententiam nuper Dziatzko secutus est[41]), postea vero mutavit[42]).

Sed cum Ritschelius negaret, versus Terentio esse indignos, ipse autem eos alii poetae tribueret, Wagnerus[43]) audacter asseverare ausus est, eos ex ipsa Terentii manu prodiisse, cum fabulam iterum egisset, recteque de hoc exitu G. Hermannum[44]) iudicasse, quamquam ne is quidem Terentio utique eum vindicare ausus esset. Atque — praeeuntibus Tanaquil Fabro[45]) et Dacieria[46]) et Westerhovio[47]) et Osanno[48]) et Gepperto[49]) — contendit, prologum qui nunc exstet, una cum isto altero exitu ad hanc alteram actionem a poeta ipso esse compositum[50]); quam Andriae retractationem post Hecyram primum exactam, fortasse a. a. u. 590/164[51]) factam voluit. Quamquam autem nuper eam sententiam abiecit Wagnerus[52]),

---

41) in Mus. Rhen. XXI. p. 65. cf. Feckeis. ann. 1876. vol. 113. p. 235 adn. 1. 42) Fleck. ann. vol. 113. 43) 1. in dissert. ‚de Terentii Andriae prologo‘ in libro miscell. ed. a societ. phil. Bonn. 1864. p. 72 sqq. 2. in Fleckeis. ann. 1865. vol. XCI. p. 288. 3. in edit. Ter. fab. Cantabr. 1869. p. 13/14 et adn. 1 et p. 333, ubi minus quidem accurate hanc sententiam pronuntiat; p. 309 dubitat, num Terentii sit hic exitus: »*But subject to the blame of ‚hariolatio‘ as these conjectures are, it is at all events certain that this second termination of the play is of great antiquity.*« 4. in edit. Heautont. Berol. 1872. p. 10. adn. 5. 5. Literar. Zentralblatt. 1876. p. 1167. 44) in Ritsch. Parerg. epim. p. 604. 45) in edit. Ter. fab. 1671. 46) in Ter. edit. lat. et franc. gall. Amstel. 1724. I. p. 12. 47) in edit. eius a G. Stallbaumio facta Lips. 1831. sqq. I. p. 9. 48) Anall. crit. p. 144. 49) In Jahnii ann. suppl. vol. XVIII. p. 579. 50) Quod quamquam non accurate dicit, tamen ex iis, quae affert, satis dilucide apparet, eum arbitrari: priorem exitum pertinere ad primam actionem, quae facta sit sine prologo; alterum ad alteram, quae facta sit cum prologo qui exstat. Sed cum his velim conferas, quae in editione Ter. fabul. Cantabrigiensi p. 309 affert, de quibus vide infra adnot. 73. p. 27. 51) Geppertus: a. u. 587/167. 52) Bursiani ann. a. 1874/75 (ed. 1877) p. 804 et p. 808.

tamen disceptanda mihi est, propterea quod nonnulli viri docti velut Spengelius[53]), alii[54]) etiamnunc eam sequuntur.

Ac primum quidem Wagnerus idem affert argumentum, quod Ritschelius: in altero Andriae exitu nihil esse[55]), quod a Terentii arte et elegantia recedat; qua re in hunc quoque cadunt, quae supra de Ritschelio diximus.

Deinde autem cum Wagnerus ad hanc sententiam ab alia quadam quaestione profectus adductus sit, videamus, quid de illa iudicandum sit. Wagnerus enim dum probare conatur, prologum Andriae, qui nunc exstat repetitae actioni tribuendum[56]) esse, demonstrare studuit, Terentium primum fabulas sine prologis scripsisse, prologos autem tum demum fecisse, cum, Andria et Hecyra iam actis, ut a ‚*malevolo vetere poeta*‘ se defenderet cogeretur.

Duo autem potissimum argumenta eius sententiae attulit:

primum quod prol. v. 5 poeta diceret: ‚*Nam in prologis scribendis operam abutitur*‘ quae verba ad primam aliquam poetae fabulam pertinere non possent;

deinde diiudicari non posse, unde tandem Terentii adversarius tam accuratam fabulae notitiam sibi comparasset, nisi iam acta esset Andria[57]).

---

53) ‚*Die Composition der Andria*‘ in ann. Academ. Monac. 1873 p. 620/21 et in edit. Andr. 1875. p. VI, adn. p. X, p. V; p. 9 adnot. ad v. v. prol. 25—27. 54) cf. Klotz. Andr. p. XI. p. 13. vide adn. 56. 55) in edit. Cantabr. p. 309: »*Its metre, prosody and language are such as not to preclude the presumption that Terence himself is the autor of this scene.*« 56) cf. libr. misc. et Fleckeis. ann. 1865. vol. XCI p. 288 adn. — Meissnerus (in edit. Andr. p. 22) quamquam prologum ad alteram actionem a Terentio ipso factam scriptum vult, tamen alterum exitum non Terentii quidem esse censet, sed tamen antiquissimum, quia iam Donato notus fuerit. Sed vir doctus non ita magnam diligentiam ad hanc quaestionem videtur adhibuisse, cum quae p. 110 ad v. 980. adnotat, huic sententiae repugnent: »... *mit Recht nahm der Dichter diese Kürzung vor* ...« Idem sentiunt de prologo Th. Hasperus (in diss. de duplici Poenuli exitu p. 23) et R. Klotzius in ed. Andr. p. XI. p. 7. adn. 18 (ubi id non ex v. 5, sed ex 27 v. prol. efficit) p. 190/91. adn. ad. V, 6, 15/16. 57) in libr. misc. p. 76.

Ac de plurali numero ‚*prologis*' iam dudum Th. Benfeius[58]) recte contra Westerhovium disputavit, cum diceret, non posse colligi ex illo numero plurali, iam ante Andriam plures prologos atque etiam fabulas scripsisse Terentium, sed plurativum numerum de rebus molestis atque ingratis in usu esse, quamquam de una re ageretur[59]). Similiter nos quoque, si quid nobis molestum est, dicere solemus ‚*mit solchen Dingen muss man seine Zeit verschwenden*', etiamsi de una re cogitamus. Ceterum hunc dicendi morem non inusitatum fuisse demonstratur exemplis ex ipsa Andria petitis: v. 891 et v. 910 sqq.

Iam illud est notandum Wagnerum ipsum secum pugnare, cum verba prol. v. 5 ad prologos iam antea scriptos pertinere dicat, ex quattuor autem versibus in fine prologi id effici putet: tum demum Terentium ad scribendos prologos esse aggressum, cum Andriam post Hecyrae primam actionem iterum ageret. Praeterea animadvertendum est, nihil in prologo interesse inter praeteritum quoddam et praesens tempus, quod voluit Wagnerus [p. 77: ‚*quod nuper fecistis*'], sed poetam petere, ut spectatores ex hac fabula de eis, quas facturus sit, fabulis coniecturam faciant et ad hoc iudicium aut favorem aut iniquitatem dirigant[60]). Quae sine dubio poeta petere non potuit, si Andria actione iam nota fuisset; immo vero tum ad eum provocare debebat plausum, quo iam in prima actione fabulam essent prosecuti. At Andria quoque cum primum agebatur, sicut Hecyra, exacta est[61])!: hanc causam levissimam esse facile probatur; neque enim credi potest, poetam post Andriam et Hecyram exactas iterum potius Andriam in scaenam produxisse, quam ut novam doceret, qua spectatorum animos sibi conciliaret. Praeterea nullo pacto fieri potuit, quin poeta illud in prologo indicaret[62]). Accedit quod Phormionis prol. v. 31 sq.

---

[58]) in praef. transl. german. [59]) Similiter Klotzius l. l. p. 18. adn. ad. prol. v. 5. cf. Dziatzko: de prol. Plaut. et Ter. quaest. select. Bonn 1863. p. 2. adn. H. Paeckelmann: de ordine Ter. fab. potissim. prol. adhib. Hal. 1875. p. 12. [60]) cf. Dziatzko in Mus. Rhen. XX. vol. p. 579/80. cf. vol. XXI. p. 65. O. Brugmann in diiudic. Speng. Andr. ed. in Fleckeis. ann. vol. 113. (a. 1876) p. 417. Paeckelmann. l. l. p. 17. [61]) Klotz. l. l. p. 7. adn. 18. p. 13. [62]) Dziatzko. quaest. sel. p. 2 adn.

unius fabulae exactae (Hecyrae) mentio fit. Ac ne illud quidem tam leve est, quam Wagnero videbatur: quod neque apud Suetonium neque apud Donatum neque in didascaliis quicquam invenitur de duplici illa Andriae actione[63]).

Atque haec quidem de priore Wagneri argumento; restat, ut de altero disputemus.

Dixerat Wagnerus adversarium Terentii non potuisse tam accuratam fabulae notitiam sibi parare, nisi iam acta esset Andria. Quod iam a Dziatzkone[64]) refutatum est, qui quo pacto illi ipsi (sc. adversarii, qui sunt Luscius Lanuvinus eiusque amici) Andriam cognoverint, varie posse putat explicari; de domino gregis posse cogitari aut de actoribus aut de Terentii familiaribus, per quos innotuerit fabula iam antequam ageretur. Adde etiam quod eo genere actionis, quod in Eunuchi prologo (v. 20 sq.) commemoratur[65]), Luscius notitiam fabulae sibi parare potuit; nam talis actio non tam magistratuum causa, ut voluit Wagnerus, quam actorum causa fiebat[66]). Praeterea e v. 3 prol. Adelph. evidentissime apparet adversarios ante actionem fabulae notitiam habere potuisse. Itaque Lanuvinus facillime et eam notitiam sibi parare et Terentio maximo impedimento esse potuit, cum eum per totam urbem rumoribus differret[67]). Si quis tamen putat[68]) fabulam in ipsa scaena agendam fuisse, ut Luscius Terentium vexare et lacessere[69]) posset, non eo modo, qui in Eunuchi prologo narratur, sed ab ipsa scaena in prologo cuiusdam fabulae, quam ipse agebat, huic respondeatur, rem ita se habere potuisse, ut Luscius Andria eo quem diximus modo cognita, ante eius actionem in prologo quodam spectatores admoneret, ut ab novo caverent poeta, qui brevi ‚*contaminatam fabulam*‘ esset adhibiturus. Quae cum ita sint, apparet, ex prologo nihil colligi posse de altera Andriae actione a poeta ipso facta[70]). Sed

---

63) cf. etiam Ritsch. opusc. III. p. 233: „. . . *nec enim vel de priore aliqua actione recte cogitatur.*“ 64) quaest. sel. de prol. p. 2. in Mus. Rhen. XX. p. 579. 65) Päckelmann. l. l. p. 13. 66) cf. Ritsch. Parerg. p. 328 et Ribbeck ‚*Die römische Tragödie*‘. Lips. 1875. p. 669. 67) cf. Heautont prol. v. 16 sqq. 68) Velut Spengel Andr. ed. p. X. 69) Phorm. prol. 13. 70) Dziatzko in Phorm. ed. p. 10 adn. 2 putat

etiamsi constaret Terentium ipsum bis egisse Andriam prologumque, qui nobis traditus est, ad alteram pertinere actionem, tamen minime inde sequeretur, alterum quoque exitum a Terentio scriptum esse[71]).

Atque haec quidem hactenus; transeamus iam ad alia, quae Spengelius ut exitum Terentii esse demonstret, affert[72]). Summa eius argumentationis haec est:

Hos versus alterius exitus diu tanquam ‚*appendicem spuriam*' recentiori alicui scriptori tributos esse; sed, qui notitiam comicorum habeat, eum non posse facere, quin eos germanos Terentii versus esse credat. Atque Terentium cum primum Andriam in scaenam produceret, exitum illum longiorem scriptum habuisse, quia putaret, etiam Charino — cuius partes poetam suo iudicio, non ex Menandri Perinthia addidisse censet — in scaena uxorem desponderi debere; sed prima actione doctum, spectatoribus valde displicere fabulam ita conclusam, exitum sibi esse resecandum putasse Terentium. Itaque cum iterum ageretur fabula, poetam eam in lucem protulisse cum breviore illo exitu et prologo, qui exstet, quod demonstretur v. 5. prol. Quam ratiocinationem firmari putat ea re, quod scaena illa omnino non eo modo tradita sit, ut antecedentibus versibus continuari possit; neque enim intellegi posse, qui factum sit ut, si quis exitum mutare et propagare vellet, non ita mutaret, ut verba uno tenore continuarentur. Atque huic Andriae condicioni simillimam esse Plautinam Poenulum, cuius exitus item duabus exstet recensionibus, quarum recentiori prior ut appendix in codicibus addita sit.

Percurramus ordinem argumentorum.

Primum quod versus Terentianos censuit, repetenda sunt,

---

etiam hoc fieri potuisse, ut Terentio prologus Andriae iam scriptus, in quo argumentum fabulae narraverat veluti Plautus, Naevius, Ennius, alii, non publicandus sed novus esset scribendus, quo se defenderet ab adversariorum offensionibus, quas paullo ante Andriae actionem promulgaverant. [71]) Dziatzko. Fleck. ann. vol. 113. p. 235. Th. Hasper. l. l. p. 23. Paeckelm. l. l. p. 22. [72]) in ann. Academ. Monac. 1873. cl. phil. et hist. p. 620/21. sed cf. cum his quae minus accurate et nimis caute de exitu dicit in Andr. ed. p. 148.

quae supra de Ritschelio diximus. Deinde iam satis superque refutatum esse putamus, quod ei summum gravissimumque argumentum est: prologum alteri a poeta ipso factae actioni esse tribuendum. Qua re corruit etiam illud quod Spengelius coniecit: Terentium ad alteram illam actionem breviorem [longiorem: Wagnerus[73])] fecisse exitum; quamquam nemo negabit longiores fabularum partes etiam priores esse solere neque facile fieri, ut a poeta fabula iterum agenda augeatur potius quam minuatur.

Tum quod Plautinae Poenuli exemplo utitur, cuius geminus exstat exitus, nemo crediderit illo exemplo demonstrari, utrumque Andriae exitum esse Terentii; praeterea pro certo sumpsit, quod demonstrandum erat: alterum exitum esse Plauti; immo Plauti non est, quod egregie Th. Hasper. demonstravit[74]).

Denique quamquam Spengelio concedo, propter codicum rationes parum probabile esse, illos versus ab aliquo viro docto esse factos[75]), tamen illa re Terentii eos esse confirmari nego; neque vero mihi persuadere possum, ut eos ita traditos esse arbitrer, ut a Terentio, cum fabulam iterum agere vellet, in resecando fabulae fine abiecti essent. Nam si ita res se haberet, primum duo exitus unum eundemque fabulae extremae versum excipere deberent: versus autem aliquos, qui alterum exitum cum fabula recte coniungerent, per inscitos librarios omissos esse credi nequit. Deinde vero, id quod summi momenti est, nullo pacto intellegi potest, qui factum sit, ut versus in quinque solis libris iisque deterioribus scriberentur in reliquis omitterentur; nam ii, qui septimo a. u. saeculo Terentianas fabulas collegerunt, sine dubio sicut Hecyrae prologos[76])

---

73) cf. supra p. 22 sq. In edit. autem Cantabrig. p. 309 eadem Wagneri est sententia, quae Spengelii, et sequitur ibi G. Hermannum in Ritschelii Parerg. epim. p. 604. 74) l. l. cf. etiam C. M. Francken ‚*de Poenuli compositione*'. Mnemosyne. 1876. vol. IV. p. 146—175 et G. Goetz. in act. Lips. 1876. vol. VI. p. 253. 267. 326. 75) cf. infra p. 35. 76) Etiamsi H. Schindlerum (obss. crit. et hist. in Ter. Hal. 1881, p. 39—53) secutus putaveris: Hecyrae prologos ab Ambivio Turpione Terentii fabularum actore esse conscriptos Hecyramque ab eo (alterum et tertium) in scaenam editam cum his prologis, cum Terentius iam in Graecia esset, tamen minime mirum est, hos prologos in omnes codices receptos esse, quia ipsa Terentii aetate ferebantur — si modo ita res se habet.

exitum quoque alterum in recensionem suam recepissent, si eum cognovissent, praesertim cum etiam diversas eiusdem loci lectiones potius in recensionem reciperent, quam ut quaestione instituta alteram poetae vindicarent, alteram ab eo abiudicarent et omitterent[77]).

Sed iam nimis diu in virorum doctorum argumentis refutandis versati sumus; explicemus igitur, quibus argumentis freti nos alterum exitum a Terentio abiudicemus: Sed in ea quaestione non verba rimanda, sed argumentum perscrutandum esse puto.

Plurimum autem in hac re valet ut videamus: quomodo Charini partibus usus sit Terentius.

Charini igitur partes Terentium ex Menandri Perinthia sumpsisse[78]) iam nemo negat nisi Spengelius[79]) et Meissnerus[80]), qui Benfeium[81]) et Grauertum[82]) secuti poetam eas proprio ut aiunt Marte addidisse volunt[83]), neque certa attulerunt argumenta, quibus eam sententiam confirmarent.

Hanc Perinthiam ante Andriam a Menandro esse factam Dziatzkonem[84]) secutus puto: Benfeius, Ihnius, Teuffelius, Braunius alii breviorem et simpliciorem pressioremque fabulae conceptionem i. e. Andriam ante pleniorem et uberiorem i. e. Perinthiam factam esse putant. Sed ex hoc ipso, quod Teren-

77) cf. Goetz. l. l. p. 276. 78) Ihne: Quaest. Terent. Bonnae 1843. p. 6—15. Koenighoff: de ratione, quam Ter. in fabul. Graec. latine convertendis secutus est. I Coloniae a. 1843 p. 73. Braunius quaest. Terent. Jen. 1877. p 19 sq. Dziatzko in Mus. Rhen. vol. XXXI. p. 249 sqq. R. Klotz. in edit. Andr. p. 72 adn. et p. 13. Teuffel: ‚*Studien zu den römisch. Komikern*' in Mus. Rhen vol. VIII (1853) p 41. W. Wagner, in edit. Cantabr. p. XIX. XX. et adn. 1—3. 79) in Andr. ed. p. XII et in annal. Acad. Monac. 1873. p. 602. 80) in Andr. ed. p. 21. 81) l. l. p. 19 sqq. 82) l. l. p. 173—197. 83) C. M. Francken: in Mnemosyne nov. Ser. vol. IV. a. 1876 p. 148 sq. hanc Ihnii ceterorumque sententiam nihil censet esse nisi coniecturam eamque non probabilem; ipse autem et in Menandri Andria et in Perinthia Charini et Byrriae partes fuisse putat. 84) l. l. p. 252. cf. Wagner in edit. Cant. p. XX. adn. 1. Spengelius quoque nunc in hanc ivit sententiam, (Andr. ed. p. XI. adn. 1.); quod in ann. Akad. Mon. non putaverat. Meissnerus l. l. p. 20 non arbitratur alteram fabulam alterius retractationem esse.

tius Andriam, non Perinthiam convertit, videtur colligi posse in Andria fabulae dispositionem et expositionem meliorem fuisse quam in Perinthia, et apparet, Menandrum cum primum — in Perinthia — spectatores duobus in una fabula amoribus valde delectari putaret, postea actione doctum Charini partes in Andria omisisse ac simul ‚*orationem ac stilum*' mutasse. Terentius autem, quamquam Andriae operam dedit, tamen e Perinthia aliquid proficere se posse ratus Charini et Byrriae partes in suam Andriam convertit eo consilio, ut et actionem augeret et dispositionis argumentique simplicitatem pleniorem et uberiorem redderet, cum maiorem vim his partibus non tribueret; et similia saepius fecit, ut diverbium institueret, ubi poeta Graecus unam personam res factas sine ulla intermissione narrantem induxerat[85]); atque hac ipsa ratione demonstratur, quanta arte Terentius fabulas suas fecerit. Neque tamen silentio possumus praeterire, Terentio in Andria non satis contigisse, ut e materia uberrima, quam Charini partes praebent, multa in suum usum converteret[86]). His de causis Terentius Charini persona usus est; sed, ne idem, quod Menander in Perinthia, peccaret, ex eius partibus tantum ‚*quae convenere*' transtulit. Nam poetam in extrema fabula his partibus eandem vim quam Pamphili nec tribuisse nec tribuere potuisse luculentissime apparet ex eo modo, quo Charini persona in fabula adhibetur: Tantum II, 2 et IV, 1 eius persona alacrior et actio paullo acrior videtur, et apta qua spectatores capiantur; quamquam in his quoque scaenis Charinus nihil fere agit, nisi quod queritur et conclamat; quo magis autem actio ad finem properat, eo minus de Charino agi eiusque vix mentionem fieri manifestum est. Iam V, 5 et 6 Charinus interrumpit tantum eos, qui loquuntur, paucis; sub fabulae denique finem petit paucis a Pamphilo, ut se ipsum ‚*in secundis respiciat*' nam Chremetem omnia, quaecunque petat, facturum

85) cf. Donat. ad Andr. prol. v. 10; I, 1, 1. Eun. II, 2, 23. 24. III, 4, 1. V, 8, 4. 86) cf. cum alios tum Ritschel. Opusc. II, 764. Spengel. l. l. p. 614 et in Andr. ed. p. XVIII. Dziatzko. l. l. p. 252. Klein. Gesch. des Dramas II. 573–580.

esse. Pamphilus uno verbo ‚*Memini*‘ id se facturum dicit eumque monet, ut secum domum intret; Davum abire domum iubet. Ita omnes personae deinceps non sine certo consilio scaenam relinquunt, sicut in ceteris quoque fabulis fit. Ut vero Charinus in exitu fabulae omnino in scaenam redeat, sine dubio ea re effectum est, quod poeta antea eius partibus usus erat, atque hoc brevissima ratione instituendum esse nemo non intelleget. Nam Pamphili Glyceriique nuptiae spectatorum animos plane tenent; ac facile patiuntur qui spectant, si poeta tantum promittit[87]) similem fortunam Charini et Philumenae, quorum nuptiae post scaenam futurae sint.

Prior igitur exitus quamvis brevis tam est conscinnus, ut bene convenire inter exitum et reliquae fabulae argumentum ac dispositionem rectamque rationem inter has partes intercedere et cum arte poetae eum congruere appareat.

At contra ille alter exitus verbosior neque argumento fabulae neque dispositioni convenit, sed vacillat claudicatque in sententiis; et re vera mirum videtur, quod nemo eorum, qui hunc exitum Terentio tribuerunt, offensiones huius exitus elevandas sibi putavit, quas et inesse iam Ritschelius dixerat et e sola verborum corruptela fluxisse nemo autumet.

Consideremus iam singula, in quibus offendimus.

Ac primum quidem non possumus non mirari, qua de causa tandem Chremes in scaenam redeat, quippe qui non habeat quod agat: nempe nulla alia causa, nisi ut alter exitus agi possit. Neque vero id intellegimus, qui Pamphilus Chremeti exeunti dicere possit ‚*te exspectabam*‘ cum sine dubio exspectemus fere haec ‚*te expetebam*‘ vel ‚*in tempore ipso mi advenis*‘ (ut V, 6, 10.) vel ‚*te convenire volui*‘ vel alia eiusmodi; nam domum intrantibus Pamphilo Charinoque Chremes domo egrediens subito obviam it.' Deinde plane inepta sunt haec Pamphili verba »*Operam dedi e. q. s.*« cum adhuc ne mi-

---

[87]) cf. Donat. ad V, 6: ‚*In hoc actu mira arte ea quae restant de comoedia breviter explicantur et designantur duorum sociorum binae nuptiae.*‘ cf. etiam Klotzii adnotationem ad V, 6, 16 (in edit. p. 190/91); tamen alterum exitum poetae vindicat! (p. XI, p. 13.)

nimo quidem studio ac favore Philumenam et Charinum amplexus sit[88]).

Tum illa nonne ab universae fabulae tenore et argumento vel maxime abhorrent, quae Chremes v. 5 dicit[89]), ‚*non sibi novam esse istam condicionem*‘ et quae idem v. 18 testatur ‚*si etsi alienum a Charino tamen magni semper eum fecisse*‘ et quae Charinus v. 15 ‚*amice se esse antehac Chremeti habitum*‘ quorum omnium ne vestigium quidem in ipsa fabula cognoscas? Quid? quod ex fabula certo fere demonstrari potest Chremetem omnino nullam notitiam habuisse Charini nedum amoris eius in Philumenam? Quid? versus 15 et 18 nonne esse facti videntur a quopiam, qui, cum alterum exitum scripturus Chremetem Charini ne notitiam quidem habere intellegeret, hoc quod videbatur vitium emendare studuit et vocabulis ‚*antehac*‘ et ‚*alienum*‘ significare voluit, antea eos amicos fuisse, postea autem nescio qua causa discordias ortas esse, quibus declararet cur notitia illorum in fabula neglegeretur atque adeo supervacanea esset? Sed huic non vidit repugnare v. 7 et 8 ‚*Non idcirco quod eum omnino adfinem mihi nollem.*‘ Mea quidem sententia poeta, si hunc exitum scribere voluit, facile paucis in fabula ipsa significare potuit, consuetudinem quandam inter eos fuisse, quam ut in fabula inesse negemus multis commovemur causis. Nam, ni ita esset, Charinus, cum II, 1, 1 audisset Pamphili et Philumenae nuptias futuras esse, haud dubie a Chremete certior factus esset, istas esse nihil nisi nugas Simonis. Neque (v. 8—10) Chremes verum dicit, se iam antea ei Philumenam daturum fuisse, nisi amicitiam, quae inter se et Simonem esset, liberis tradi voluisset; neque antea copiam sibi datam esse. Nam iam dudum fuit ista copia data in illa altercatione, quae Chremeti cum Simone erat; cum enim dixisset, se Pamphilo filiam despondere nolle, debuit certe aut commemorare, se illam tunc Charino daturum, aut id ipsum facere. Atque si haec omnia repu-

---

88) cf. **Rummler: quaest. Ter. Hal. p. 18. — Dziatzko. Rhen. Mus. XXXI, 247.** 89) cf. **Ritsch. Parerg. p. 602. Dziatzko. Fleck. ann. vol. 113. p. 236.**

tamus, inepte dicere videtur Charinus, (v. 374) se saepe frustra conatum esse Chremetis amicos sibi conciliare. Haec quoque consideranda sunt: In Menandri Perinthia sine dubio Chremes novit Charinum[90]) et cum eo alicubi in scaena convenit; quod cum Terentius neglegeret, sequitur eum in suam Andriam non convertisse Perinthiae exitum — cuius argumentum etsi non idem erat atque alterius exitus Andriae Terentianae, tamen huic fuisse simillimum apparet[91]). — nam fugere eum non poterat, illum ad suam Andriam non convenire, quia in eo notitia illa, quam ipse neglexerat, descripta erat. Praeterea valde offendimus, quod non fiunt, quae Davus Charinum facere iussit (v. 11)[92]); neque enim Chremeti Charinus gratias agit, quod filiam sibi dare velit[93]). Mirum etiam illud est, (quod iam Dziatzko affert) quod Chremes Glycerio (v. 951) decem talenta dotis, sex tantum Philumenae dat. Neque vero quisquam neget, alienissimum esse a Charino adulescente Chremetem senem appellare ‚*amicum*' quod neque comicorum usui et moribus neque necessitudini respondet, quae inter has personas in fabula intercedit[94]).

Haec fere sunt, in quibus offendimus neque pulchritudinis quodam sensu neque dictionis elocutionumque vitiis permoti. sed sententiarum discrepantiis. Nam in promptu est, illa menda ita comparata esse, ut neque ex corrupta codicum scriptura repeti possint neque Terentio tribui, qui cum in reliquis fabulae partibus tam egregie rem administraverit, minime putandus est tam misere lapsus esse in extrema fabula.

Neque vero sententiae solum cum reliquae fabulae argumento pugnant, verum etiam elocutiones quaedam non aptae sunt Terentio ‚*puri sermonis amatori.*' An putabimus Terentii arti accomodata esse, quae Chremes dicit Pamphilo ‚. . . *ami-*

90) cf. Braun. l. l. p. 20. 91) Ut vero scriptorem alterius exitus Perinthiam cognovisse eiusque exitum exscripsisse putemus, quod vult Braunius (l. l. p. 21.) nulla certa causa cogimur. 92) Ritsch. l. l. p. 602. 93) In Donati Eugraphiique codicibus, in quibus v. 15 non deletus erat, sicut in nostris, simile aliquid notandum erat: neque enim Davus abit, quod ibi in v. 15 iussus erat. 94) Dziatzko Fleck. ann. 113. p. 226.

citia nostra?‘ Haec enim amicitiam significarent, quae esset inter ipsum et Pamphilum[95]), cum cogitet de amicitia inter ipsum et Simonem, quod apparet ex verbis quae sequuntur: ‚*a patribus nobis tradita*‘ et ‚*volui ... tradi liberis*‘. Adde quod in v. 8/9: ‚*sed amicitia nostra ... eius non aliquam partem studui abductam tradi liberis*‘ constructio verborum plane inusitata est; nam exspectamus: ‚*amicitiam nostram non aliqua* (i. e. nulla) *parte abducta studui tradi* (vel potius tradere) *liberis*‘ vel alia eiusmodi[96]). Neque in versu 11 verba ‚*copia ac fortuna dedit*‘ nisi per ζεῦγμα intellegi possunt; neque enim dicitur ‚*copia dat*‘ pro ‚*copiam do*, *copiam facio*, vel *copia datur*, *copia est*‘[97]). Praeterea Dziatzko magnopere offendi nos dicit, quod in v. 21 verba illa ‚*uxorem spondeo*‘ nec Terentii nec omnino comicorum usui conveniant, qua maxime sententia fretus exitum non a Terentio, sed II. p. Chr. saeculo scriptum esse autumat; nam Terentium evitare verbum ‚*spondeo*‘, quia nimis sollemnis sit illa elocutio, et ceteros quoque comicos ea non uti nisi in formula sponsionis, quae quidem hoc loco non exstet. Equidem Spengelium[98]) secutus non video, cur forma ‚*spondeo*‘ aliena esse a Terentio dicatur, cum poeta, quod Dziatzko ipse affert, participio verbi spondendi saepius[99]) utatur; itaque casui tribuendum est, quod forma ‚*spondeo*‘ nobis tradita non est sine illo sollemni sensu. Quae cum ita sint, nos quidem tam incerto atque lubrico argumento non tantum tribuimus ad quaestionem diiudicandam, quantum Dziatzko.

Multo denique plus offensionis illud habet, quod cum fabulae Plautinae et Terentianae omnes septenariis trochaicis terminentur, solus hic alter exitus desinit in senarios iambicos[100]).

Ceterum quominus recte iudicetur de dictione elocutioneque ac numeris maxime impeditur eo, quod verba, impri-

---

95) Dziatzko l. l. 96) Wagner ed. Cantabr. p. 309/10. 97) Dziatzko l. l. 98) in Bursian. ann. 1876. vol. 5. 6. p. 356. 99) Eun. v. 1036 ‚*scin sponsam mihi*‘ Phorm. v. 657 ‚*quae sponsast mihi*‘. 100) Qua ex sola causa Hasper. l. l. p. 24 exitum Terentii esse negat.

mis versuum 12—19 admodum corrupta sunt, ut dubitandum sit, num hae mendae auctori, quicunque fuit, tribui possint[101]). Ex dictione igitur nihil fere iudicari posse puto de poeta horum versuum. Sed ex iis, quas supra attulimus, causis iam satis apparere arbitramur, alterum exitum non esse Terentii.

Nec vero satis est indagasse hunc exitum esse spurium, illud etiam quaerendum est, cui vindicandus, quo pacto quoque tempore scriptus sit.

VII.

Cuinam exitus tribuendus sit.

Quaerenti, qui factum sit, ut pro eo exitu, quem Terentius scripserat, alius substitueretur, non ita difficile est respondere. Is enim, qui eum fecit, aut ipse aegre tulit aut spectatores indignari putabat, quod Charino in Terentii exitu, ubi fere nullae eius partes sunt, Philumena a Pamphilo spreta non in scaena ipsa desponderetur; qua de causa et ut spectatorum plausus etiam magis exitaret, illam scaenam addendam sibi esse existimavit.

Atque quominus hanc scaenam eadem interpolatione, quae in reliquis accidit, factam esse putemus, obstat: et quod maior quam illae est, et quod condicio huius scaenae prorsus diversa est; nam cum reliqua additamenta non alia de causa inculcarentur, nisi ut explerent quae aut re vera desunt fabulis aut videbantur saltem deesse, hac scaena adiecta apparet aliam fabulae partem necessario excludi.

Neque hoc additamentum ad illud genus referri potest, quod vulgo ‚*duplicis recensionis*‘ vel ‚*dittographiarum*‘ nomine comprehenditur et saepenumero in Plautinis fabulis invenitur[102]): nam hae dittographiae vel tautologiae, quae dicuntur, inde ortae sunt et in codicibus iisque omnibus traduntur, quod illi, qui primi fabulas Plautinas recensuerunt earumque ordinem

---

101) Dziatzko l. l. Spengelius l. l. 102) cf. G. Goetz ‚*die Dittographien im Plautustexte*‘ Act. Lips. 1876. vol. 6. p. 234—326.

constituerunt, varias exemplarium suorum lectiones in recensionem suam receperunt non diiudicantes, quae genuina lectio esset: alter autem Andriae exitus, in quo genuina lectio non minuitur, id quod in Plautinis dittographiis factum est[103]), sed augetur, viris doctis, qui Terentianas fabulas recensuerunt, ignotus fuit; neque ab iis in codices receptus est.

Neque vero de librario possumus cogitare: nam librariorum interpolationes »*ludibunda sedulitate subnatae ipsa verborum, sententiarum, numerorum pravitate noviciam originem produnt*[104]).«

Ac ne poetae quidem, vel grammatico vel alicui viro docto, qui sua sponte aut Menandri Perinthia usus[105]) addiderit eam in uno vel compluribus codicibus, haec scaena tribuenda est: is enim exitum ita scripsisset, ut cum fabulae argumento et dispositione congrueret, atque versus cum antecedentibus conexi uno tenore recitari possent fabulaque apto modo finiretur; tales autem versus, qui novum exitum cum fabula coniungerent et recte finirent, olim exstitisse et temporum iniquitate periisse credi nequit: nam primum nihilominus argumenti diversitas ac discrepantia remanet, deinde hoc iam antiquissimis temporibus fieri debuerat, cum iam Donatus exitum iam talem noverit, qualis nunc est; immo versus hanc formam ac speciem iam in archetypo videntur habuisse.

Itaque si quaerimus, a quo versus scripti sint, neque Ritschelium — quocum facit G. Hermannus — sequimur, qui propter dictionem cogitat de »*poeta aliquo*« Terentio haud multo posteriore, qui eum fecerit, cum Andria denuo ageretur; neque Dziatzkonem, qui eadem de causa a »*viro aliquo docto II. p. Chr. saec.*« eum additum esse censet; neque Braunium, qui *nescio quem perlecto Calliopii manuscripto IV. p. Chr. saec. . . . hunc exitum addidisse*, autumat, *neque vero ipsum textum mutasse*, *sed sua adscripsisse in margine*, vel quod idem esse, *v i r d o c t u m v e l g r a m m a t i c u m . . . Perinthiae*

---

103) ibid. p. 251. 267 sqq. 104) Verba Ritschelii in praef. Merc. p. VII. 105) id quod Braunius (l. l. p. 21) voluit; cf. supra p. 32 et adn. 91.

exitum vidisse atque latine conversum addidisse:« sed — in eo tantum cum Ritschelio et Spengelio consentientes, quod putamus versus sine dubio in scaena esse pronuntiatos — exitum ex scaenico aliquo exemplari manasse et, cum Andria denuo ageretur, factum esse censemus ab histrione aliquo, qui non curabat, num ea quae fecit ad fabulae argumentum recte convenirent, sed id tantum in animo habebat, ut Philumena quoque in scaena desponderetur et fabula duabus nuptiis finiretur; deinde ut postea quoque, si iterum fabula ageretur, versus in scaena pronuntiarentur, eos in codicem, quo histriones uterentur, recepit.

Histriones autem retractationum causa saepissime fabulae partes vel totas fabulas mutasse multis demonstratur exemplis[106]). Nam cum poetis mortuis Terentii et Plauti fabulae denuo agerentur, quaedam ab histrionibus addita vel mutata esse constat, quae deinde in scaenica exemplaria recepta sunt. Atque non solum singulos locos temporibus suis non iam aptos sed etiam longiores partes mutavisse histriones imprimis demonstratur fabulis Plautinis: velut Poenuli Plautinae alterum exitum tali mutationi retractationis causa factae deberi egregie demonstravit Th. Hasperus. Adde etiam, quod Casina talis qualis nunc exstat facta est ab histrione quodam, qui eam, cum iterum ageretur, in breviorem formam redegit, cum scriptori prologi tota Plauti fabula praesto esset; Cistellaria quoque ex tali exemplari scaenico orta videtur esse.

Quae si in Plautinis fabulis facta sunt, quid obstat, quominus Terentii quoque fabulas histriones mutasse putemus, praesertim cum singulos versus ab eis additos esse constet, imprimis eos, qui in una eademque fabula repetiti aut ex alia Terentii Plautive fabula translati leguntur[107]). Itaque

---

106) cf. Ritsch Par. p. 89. 198. Goetz. l. l. p. 276 sq. Hoelzer: de interpol. Ter. Hal. 1878. p. 36. Steinhoff *‚das Fortleben des Plautus auf der Bühne‘*. Blankenburg 1881. p. 3. 4. Mommsen. H. R. III. p. 592. Friedländer: Sittengeschichte Roms II. p. 399. Recentioribus quoque temporibus talia facta esse demonstratur *‚Shakespeare‘* poetae illustrissimi fabulis, quas tali modo auctas esse, quis est quin sciat? 107) cf. Hoelzer. l. l. p. 36.

verisimillimum mihi videtur, hunc alterum exitum eadem ratione factum[108]) et in exemplar alicuius gregis receptum esse.

Haec autem histrionum exemplaria summi momenti esse nemo ignorat: nam inter omnes constat, textum Terentianarum et Plautinarum comoediarum ex exemplaribus scaenicis ductum esse[109]). Grammatici enim, cum iam inde a septimo u. saec. operam navarent fabulis palliatis, ut textum ad usum lectorum compararent, imprimis histrionum exemplaribus (quae quidem assequi poterant) usi omnia quae de singularum fabularum actionibus tradebantur, colligebant. Dominorum autem gregis permultum interfuit de fabulis quas habebant gravissima quaeque notare velut actoris modulatorisque nomen ac generis modorum musicorum mentionem aliasque res ad agendas actasque fabulas pertinentes[110]); itaque ex iisdem exemplaribus fluxerunt multa actorum nomina, quae in codicibus traduntur — commemorantur enim Ambivius, Atilius, Minucius, Sergius —; et litterae illae graecae, a quibus in codicibus personarum nomina ordiuntur, quae ad rem scaenicam pertinuerunt; et didascaliae ipsae maxima ex parte indidem originem videntur duxisse[111]).

Quae omnia si ex histrionum libris in codices manaverunt, quid mirum si alter exitus ex eodem fonte translatus est? Quod autem in paucis codicibus scripti versus inveniuntur,

---

108) Quod idem iudicat Schindlerus de Hecyrae prologis, quos ab Ambivio Turpione factos vult. cf. supra p. 27. adn. 76 — cf. Bernhardy H. L. R. p. 472. cf. Steinhoff. l. l. p. 6. adn. 37. Steffen [‚*de actorum in fabulis Terentianis numero et distributione*' in Act. soc. phil. Lips. II. p. 151] eandem fere condicionem huius exitus atque prologorum Plautinorum eumque ex scaenico libello esse ductum commemorat secutus Dziatzkonem, qui ad hunc exitum animum advertit [in Mus. Rhen. XXI. p. 90sqq.] cum exponeret similem Plautinae Terentianam recensionem exeunte VII a. u. saec. a grammaticis profectam ex histrionum exemplaribus haustam esse. Ceterum hanc de exitu sententiam Dz. nuper aspernatus eum viro docto II. p. Chr. saec. tribuit. 109) cf. Dziatzko l. l. p. 90sq. Steffen. l. l. p. 150. 151. et adn. 65. 66. Schindler. l. l. p. 40. Hoelzer. l. l. p. 36. 110) Schopen. l. l. p. 47. 48. Steffen. l. l. p. 151sq. Dziatzko. l. l. p. 91/92 et in ed. Phorm. p. 15. Goetz. l. l. p. 275. 111) Steffen. et Dziatzko. l. l.

facile explicatur, si putamus, viros doctos, qui fabulas recensebant, illud exemplar, in quo alter exitus scriptus erat, aut assequi non potuisse aut non novisse.

Qualis autem in hoc exemplari alter exitus fuerit et quomodo in quinque illos codices venerit, coniectura fere colligi potest[112]).

Neque enim mihi probabile videtur, eum ibi commode cum antecedentibus versibus coniunctum fuisse, sic ut statim agi posset, sed potius iam in illo exemplari eadem forma, qua nunc est, videtur scriptus fuisse.

Ille autem, qui primus hoc exemplar in manibus habuit, exscripsit 17 vel 18 illos codicum versus, fortasse addita nota ‚*non Terentii*‘, cum aut nihil nisi illos versus ibi scriptum invenisset, aut illa quae adnotata erant, in usum actorum adnotata nulliusque momenti esse ratus omitteret neque ipse adnotare posset, quo loco versus inserendi essent.

VIII.

Quo tempore scripti sint versus.

Restat ut quo tempore scripti sint versus exponamus.

Ritschelius et Dziatzko eandem dictionem afferunt, cur credant alter: exitum tribuendum esse si non Terentio attamen poetae haud multo posteriori[113]), alter: eum scriptum esse II. p. Chr. s., cui etiam periochas vel argumenta Plautinarum et Terentianarum fabularum debeamus. Braunius autem qui, quomodo nunc constituti sint versus, si deliberamus, omnino non asseverari posse putat, utrum bono an malo, antiquo an novo poetae tribuendi sint, eos vel IV. p. Chr. s. scriptos vult: nam mirum videri, si VII. a. u. s. versus compositi essent, eos

112) Quod Goetzius (l. l. p. 270) dicit, non credibile esse, tam amplas partes scaenici exemplaris margini adscriptas fuisse, haec dubitatio facile tollitur, cum alterum exitum post fabulae finem, ubi sine dubio multum fuit spatii, scriptum fuisse existimemus. 113) In eandem sententiam iverunt Hasper. l. l. p 23. Hoelzer l. l. p. 2.

non in Bembino et Calliopii manuscriptis inveniri scriptos; sed contra, si paullo post Terentii mortem additi fuissent, ut in unum certe vetus Terentii manuscriptum reciperentur futurum fuisse putat, etiamsi cum adnotatione ‚*non Terentii.*‘ Talem dubitationem si quis nobis opponat, videnda sunt quae supra p. 37/38. diximus. Deinde quo tempore exitus compositus sit, accuratius iudicari posse Braunius putat, sic argumentans: »*cum enim Calliopius, qui in recensendis veterum libris non unum tantum sed compluria certe varii generis variique pretii exemplaria inspexerit atque inter se comparaverit, nihil de hac re adnotet, non nimis audacter mihi videor disputare: ante recensionem Calliopii, qui III. saec. vel ineunte IV. recensuerit, non fuisse hunc alterum exitum, sed post eum demum additum eo quod inter Calliopium et Donatum sit temporis spatio i. e. IV. saec. 30 vel 40 anno, cum Donatum, qui medio IV. saec. vel ad finem eius fuerit, exitum novisse ex ipsius verbis appareat.*« Quam quidem conclusionem facile refutari posse putamus; pro certo enim sumpsit Braunius, quae demonstranda erant, nam id vellem nos edocuisset, quibus tandem argumentis fretus Calliopium III. vel ineunte IV. s. fabulas recensuisse censere se posse putaret; contra, etsi nemo adhuc aetatem huius ‚*grammatici prorsus ignoti*‘ certo definivit, tamen omnes consentiunt, eum multo post, certe post Donatum vixisse[114]). Deinde mea quidem sententia nimis audacter asseveravit, Calliopium quia nihil adnotasset, versus illos non novisse; nam etiamsi exitum novit — atque certe

[114]) cf. Umpfenbach. in ed. p. I. Wagner in ed. Cant. p. XXXII. Meissner in Andr. ed. p 10. Schindler l. l. p. 19/20. Umpfenbach. p. LXVIII. Dziatzko in Phorm. ed. p. 16 et. adn. 4: VII. fere post Chr. s. vixisse eum vult. Barth adn. VI, 20 et Eustach. Schwartius in analect. III, 16: Alcuinum sub Calliopii persona latere suspicati sunt; cf. Umpf. p. LXIII. O. Jahn ‚*Ueber d. Subscript. in den Hdschr. röm. Klassiker*' in ann reg. Societ. Saxon. cl. phil. et hist. a. 1851. vol. I et II p. 362 sqq.: fortasse Caroli Magni temporibus, cf. Bähr ‚*de litter. studio a Carolo Magno revocato*. Heidelb. 1856. p. 29. Geppert in ann. phil. et paedag. suppl. XVIII. p. 28 sqq.

veri simile est Calliopium eum vidisse, si post Donatum fuisse eiusque commentarium cognovisse putandus est — non ei opus fuit aliquid adnotare: sed cum paucis iisque deterioribus codicibus scriptum eum videret et idcirco Terentii esse negaret — fortasse Donatum secutus — eum non recepit in recensionem suam[115]).

Ceterum ego quoque mihi persuasi de tempore non posse iudicari ex dictione huius exitus, nam alii dictionem summis laudibus efferunt eamque si non Terentio vindicant, attamen

115) Calliopium ante Donatum fabulas recensuisse, quod Braunius posuit, nuper F. Leo [in Mus. Rhen. vol. 38 a. p. 317—347 ,*Die Ueberlieferungsgesch. der Terenz. Komödien und der Kommentar des Donat.*' comprobare studuit, qui quae ratio inter Donati commentum et recensionem Calliopii intercederet, quaesivit Atque quae indagasse sibi visus est, iis quae adhuc inter omnes convenerant plane diversa et contraria sunt; nam Calliopium censet (p. 325, 347) editionem paravisse ad codicem quendam Bembino aetate superiorem; quam editionem secutum esse Donatum in commentario suo; Umpfenbachium enim si sequamur quaerendum esse, unde tandem nisi ex Calliopii recensione Donatus didascalias, quas eodem modo quo Calliopius praebeat, exscripserit, quoniam commentarius ad codicem quendam, non contra ad commentarium codex adplicare se soleat. Sed utut res se habet, ad nostram quaestionem haec nullius momenti nobis videntur esse: nam ut Calliopius ante Donatum vixerit, tamen ex eo, quod alter exitus in codicibus C. R. non scriptus est, non sequitur: Calliopium eum non novisse et eum ,*eo quod inter Calliopium et Donatum sit temporis spatio*' scriptum esse; sed poterat eum omittere propterea, quod in deterioribus libris eum scriptum videbat — quod idem etiam Donatus V, 14 adnotat »... *hi versus in plurimis exemplaribus bonis non inferantur*« — cum ceteri omnes et maxime is, ex quo Bembinus derivatus erat, quemque eum adhibuisse Leo vult, scaenam non praeberent. Deinde si ita esset merito miraremur, qua tandem de causa iste vir doctus, quem exitum composuisse Braunius putat, eum in libro deterioris notae scriberet, non in libro C. R, quae tum si etiam Donatus ad eam commentarium suum instruxit apud omnes in usu erat. Tum mea quidem sententia prorsus non probabile videtur, exitum tam paucis annis, qui Braunio iudice inter Calliopium et Donatum sunt, et ortum et in margine scriptum esse et iam in textum nonnullorum codicum venisse, ubi Donatus eum scriptum vidit. Denique hoc quoque aliquid offensionis habet, quod si Calliopius aetate prior quam Donatus fuit, tam demum multo post eum exitus in codices quosdam (cf. codd. γ. δ. ε. supra p. 17 sqq) eius recensionis venerit.

eo dignam putant, velut Ritschelius, Hermannus, Spengelius; alii eam vulgarem et tritam atque Terentio puri sermonis amatore plane indignam censent, velut Dziatzko et nunc Wagnerus quoque. Quod enim in exitu Terentio digna vel indigna sunt histrioni tribuimus, a quo factum eum esse putamus: nam ut apparet, histrioni cuidam, qui perpetuis actionibus Terentiana dictione assuefactus erat, non ita difficile fuisse, nonnullos versus Terentianos consuere[116]), ita minime mirum est, in iis nonnulla Terentio indigna eum fugisse: itaque qui exitum eo, quem diximus modo non exortum putat, illa quae Terentianae dictioni apta sunt, antiqui et boni poetae esse existimet, haec Terentio indigna recentioris et mali. Neque igitur velut Ritschelius exitum poetae alicui Terentio haud multo posteriori, neque Dziatzkonem aut Braunium secuti viro alicui docto II. aut IV. s. tribuimus sed histrioni VII. a u. saec. Quamquam enim Terentii fabulas non solum inde a poetae morte usque ad libertatis interitum verum etiam aetate Caesarum denuo semper actas esse memoriae proditum est, ut de tempore, quo ortus sit alter exitus, iudicari non posse videatur, tamen VII u. s. eum deberi arbitramur, quo Plautini prologi ceteraeque fabularum mutationes ab histrionibus facta sunt.

Accuratius de tempore iudicare non licebit: cum enim tota de histrionum interpolationibus quaestio ipsarum interpolationum indole non veterum testimoniis diiudicetur, nihil certi affirmari potest. Quamquam autem didascaliis certae Terentianarum fabularum retractationes demonstrantur, quas fecit L. Atilius Praenestinus[117]), tamen veri simile non est, exitum ab eo factum esse; neque vero a ceteris gregum dominis, quorum nomina in codicibus nobis traduntur: nam eorum exemplaria cognoverant grammatici, qui fabulas recensuerunt: si igitur exitus in uno alterove eorum fuisset, ipse quoque sicut nomina histrionum in codices receptus esset.

---

116) cf. Ritsch. l. l. p. 236: »... *und wer sich in Rom zur Abfassung eines solchen Prologs her gab, verstand auch die sehr einfache und gewohnte Kunst regelrechte Senare zu bauen (die Regeln sind aber keine andern, als die auch für Plautus* (et Ter.) *geltenden* ...)« 117) cf. Dziatzko in Mus. Rhen. XXI. p. 64. Steffen. l. l. p. 151. adn. 66. etc.

Hoc igitur exemplar scaenicum, quo ille alter exitus continebatur, cum casu aliquo in oblivionem venisset, denuo innotuit paullo ante Donatum; antea enim exitum quemquam cognitum habuisse nullo certo testimonio affirmatur; nam quod Fleckeisenus[118]) opinatur, C. Sulpicium Apollinarem, quod perioch. v. 12. scripsit ‚*aliam dat Charino coniugem*‘ non scripturum fuisse, nisi hos versiculos ante oculos habuisset, demonstrari non potest. Quae enim Apollinaris scripsit etiam e breviore exitu effici poterant: verba v. 980 ‚*intus despondebitur*‘ nihil aliud significant, nisi Philumenae et Charini nuptias, cum Glycerium iam v. 949 sq. sponsa esset. Itaque Apollinaris, cum breviter argumentum adumbrare vellet, incerte et minus accurate dixisse putandus est, quod idem ei contigit in Heyrae periocha, v. 5. ‚. . *nuptam haud attigit* . .‘ quae si fabulam spectaveris, non accurate dicta esse invenies[119]). Similiter atque Apollinaris Antonius quoque Muretus[120]) in Argumento Andriae dicit: »*Ita summa omnium laetitia Charino Philumena, Glycerium Pamphilo nubit*;« quae scripsit exitum priorem secutus: nam alter centum fere annis post eum a Guyeto in lucem revocatus est.

Eam igitur alterius exitus rationem esse puto, ut VII. a. u. saec. histrio aliquis vel dominus gregis, cum Andria iterum ageretur, suo vel spectantium desiderio indulgens neque ipsius fabulae summa cum arte factae rationem habens eum composuerit et in codice suo scripserit. Casu quodam haud ita mirabili illud exemplar iis, qui in fabulis Terentianis recensendis operam collocaverunt, non in manus venit; sed cum diu oblivione obrutum esset, postea a librario quodam, qui casu illum librum adeptus erat, ex eo exitus margini adscriptus est: fortasse cum nota ‚*non Terentii.*‘

Ex hoc archetypo delibaverunt postea Donati illi Eugraphiique codices hunc exitum sed ita, ut quae in archetypi

---

118) in edit. Ter. p. XIV. cf. Wagner ed. Cant. p. 309 qui cum eo facit. 119) cf. Dziatzko in Fleck. ann. 113. p. 235. cf. Hec. v. 136 sqq. 169 sq. 298. 404. 411. 120) in ed. Westerhov. ed. a Stallbaum. vol. 1. 2. p. 4—6.

margine erant, omissa illa nota, in textum ipsum reciperentur: ab alio post v. 14 (cf. Donati codd.), ab alio post v. 12 (cf. Eugraphii codd.); denique omissis parte versus 14 et versu 15 quodammodo exitus emendatus et cum priore coniunctus est in codice quodam qui ad illos Donati libros referendus est; atque ex eiusmodi libro manaverunt nostri quinque codices eo quem supra diximus modo.



VITA.

Natus sum Carolus Fridericus Adolfus Greifeld die XXX. m. Nov. a. h. s. LX. patre Andrea, matre Johanna e gente Spormann, quos vivos adhuc pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis imbutus gymnasium frequentavi Regium Joachimicum Berolinense usque ad mens. April. anni LXXX., quo anno maturitatis testimonio instructus numero civium universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis ascriptus sum. Ibi per octies sex menses studiis philologicis et historicis operam navavi atque militiae munere annum functus sum. Docuerunt me viri illustrissimi: Bresslau, Curtius, J. G. Droysen †, H. Droysen, Huebner, Kiepert, A. Kirchhoff, Paulsen, Robert, Schmidt, de Treitschke, Vahlen, Wattenbach, Weizsäcker, Zeller. Ad exercitationes philologicas, archaeologicas, historicas benigne me admiserunt Huebner, Curtius, Weizsäcker. Studiis meis satis profectis a. LXXXV. superavi examen pro facultate docendi. Praeceptoribus his omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas.

